

ratum ab inferno inferiori, 2. Reg. 12. dedit intelligere, esse quendam infernum superiorem; & ab eo non fuisse animam suam liberatam. Nam ut universis sanctis Patribus, ita & ei eò descendendum erat, donec redemptio per Christum interposita esset. Hæc ille.

*Et in sequentibus plura subiicit de inferno inferiore & superiore: Et quòd Limbus Patrum in Scripturis vocetur Sinus Abrahe, et id genus alia.*

Quid tu verò de Purgatorio Pontificiorum sentis?

*Figmentum Ethnicum, poëticum, fabulosum, & in meritum Expiationis unici Salvatoris Domini nostri Iesu Christi, maximè blasphemum & contumeliosum esse sentio.*

Quia Scriptura sacra tantum duas mansiones demonstrat eorum, qui ex hac vita discesserunt: Sicuti duo tantum hominum sunt genera, fideles, qui in vitam æternam colliguntur, & infideles, qui precipitantur in damnationem.

Marc. 16. 16. *Qui crediderit & baptizatus &c.*

Iohan. 3. 18. *Qui credit in eum, non iudicatur: Qui autem non credit, iam iudicatus est.*

Quia quicquid expiationibus vel purgatorii vel suffragiorum adscribitur, id omne Christi merito, quod solū nos à peccatis purgat, derogatur.

Cur autem Purgatorium figmentum Ethnicum & poëticum appellas?

Quia Plato in Phadone, & hunc sequutus Virgilius, haud aliter, quàm Pontificii hodierno die purgatorii pœnas describunt. A suis igitur Prophetis et doctoribus (quos Pontificii imitati sunt) purgatorium merito denominatur.

At